

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 9303

**Auteur(s) :** André de Vitré [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1173-1202]

**Lieu d'émission :** Vitré

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

André seigneur de Vitré donne à l'abbaye de Savigny 60 livres de rente sur ses moulins foulons de Châtillon et le cour d'eau qui va à l'étang de Fayel et à Champfleury.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Paris, Archives Nationales, L 978, n° 1362.

## Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Redonensi, n° LXI)

### Texte d'après A

Universis fidelibus presentibus atque futuris Andreas dominus Vitreii salutem. Notum sit vobis quod ego pro amore Dei et salute anime mee et omnium antecessorum et successorum meorum et maxime pro salute patris mei et matris mee et fratrum meorum et uxoris mee dedi et concessi Deo et monachis Savigneii concedentibus fratribus meis Alano et Roberto et mathilde uxore mea concedente in elemosinam liberam penitus et quietam LX solidos andegavensium in molendino meo Folleret de Castellonio in festo sancti martini hiemalis annuatim ab eo qui firmam molendini tenuerit percipiendos ex quibus monachis singulis annis generalem habebunt pitanciam quam diu vixerint in anniversario patris mei, post obitum meum in anniversario meo illam facient. Dedi etiam et concessi eis atacheiam ductus acque ad opus molendinorum suorum de Campoflorido ita tamen quod non recipient aliquos ad ipsa molendina nisi quos ego voluerint. Dedi etiam et concessi eis terram de Mesgaleri sicut via dividit ex una parte a calceia stanni de Faiel usque ad crucem de Broon et ex altera parte ductus aquae ejusdem stanni et sicut ambitu circumdatur territorio de Broon. Concessi etiam eisdem monachis habere prorpios porcos in foresta mea sine pasnagio et in eadem foresta ligna ad focum et ad edificia domorum et molendinorum et pasturam animalium. Habent etiam predicti monachi ex dono Johannis de Campellis et filiorum ejus Willelmi et Garini Hervei R et R quicquid calumniabantur de jure forestariorum in mesgaleri, in terris et pratis de Faiel, in prato de Bernuce, in prato de Vinofuso et de Booleria et in omnibus aliis pratis ad grangias de Faiel et de Lovigneio pertinentibus et pasnagium et cochagium et boscum mortuum habent etiam predicti monachi es dono Ruelloni filii petri et nepotum suorum Petri et Augeri et Eudonis. Et ex dono Eudonis naschart totum quod ad jus eorum pertinebat in predictis terris et pratis et in omnibus aliis rebus. Concessi etiam eisem monachis in Tyze terram quam dedit

Herveus Escortedas inter crucem Doon et ruam cruosam sitam. Item concessi eis decimam frugum quam dedit Robertus de Landavrain in Oceio. Habent etiam prefati monachi a monachis Sancti melanii redonensis terram que Tealderia dicitur. Ex dono Gaufrid Basle et concessione Gesberti et Radulfi et Godefredi totum quod suum erat in tealderia. Ego autem dedi et concessi supradictis monachis totum quod de jure mihi competit in eadem tealderia eo pacto quod quicquid de terra illa accipient in opus sue nove ecclesie mitent (sic) et cum perfecta fuerit illus ad luminare capelle Sancte Katerine ubi pater meus sepulturam habet assignabunt. Concessi etiam eisdem monachis donacionem quam fecit pater meus de loco Lovigneii scilicet sicut fossetum vetus ad introitu de Belveer vadit ad quandam magnam fossam que est in Landaet ab ipsa fossa usque ad duas quercus et inde usque ad fontem que vocatur Belrecort et ab illo fonte sicut rivulus ejus vadit usque ad rivum de parco et usque ad Vovuram. Concessi etiam eisdem monachis donacionem quam fecit pater meus ad grangiam de Fayel pertinentem videlicet totam terram que incipit a ponte Peregrinorum et vadit per rivum profundum usque ad capud Brollii de Faiel et ab inde per mediam Booleiam usque ad capud Tusche que vocatur les Aloez et ab inde per viam Redonensem usque ad Baatam et a Baata per viam que dicit Castelburc usque ad supra dictul pontem peregrinorum insuper et ex altera parte ejusdem vie versus Viaconiam quicquid ad forestam meam et dominicum meum pertinet et duo molendina et stannum qe sunt apud Faiel et XII numinos de mangerio quos habebat pater meus in ea particula terre de Verneia juxta Tyse quam ipsi monachi a filiis Mainonis filii Delice et hominibus eorum habent et ipsam terram liberam penitus et quietam predictis monachis concessi. Hec autem omnia que hic enumerata sunt ego Andreas Vitreii dominus, concedente ut dictum est, Matilde uxore mea et fratribus meis Alano et Roberto, Joscelino concedentibus dedi et concedi monachis Savigneii in perpetuam elemosinam liberam omnino et quietam ab omni servitio et consuetudine absolutam. Volo itaque et precipio et firmiter constituo quatinus sepedicti monachi et eorum conversi et homines et famuli et omnes res ad ipsos pertinentes per totam terram meam habeant firmam pacem et omnem quietanciam et perfectam libertatem ab omni servicio et exactione et consuetudine et theloneo et passagio et pontagio. Facta est autem hec mea confirmacio atque constitutio apud Vitreium. Testibus his Rollando de Dinan, Mauricio de Creon, Hamelino de Meduana, Roberto de Landavrein, Hervo de Besiel, Willelmo Andegavensi, Raginaldo capellano, Gaufrido de Leberto, Hamelino de Pinel, Willelmo de Brollio, Radulfo de Domaigneo, Fulcone priore de Claromonte, Willelmo priore Savigneii, Radulfo de Cornileio, Johanne Gruel, Pagano de Cornileio et aliis multis.